



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. II. Elephas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

plorū Agy ut humanam naturam præstare cæteris animantibus admoneamur. Nam alibi principatum ex ca-
ptiorum ex pite intelligi disseruimus. Leonem autem brutorum omnium principem esse, manifestum est, qui hu-
Clemente, mano subiectus imperio reliqua secum trahit. ³ In Divinis vero literis, imperium in bruta omnia
Syromatum homini datum legimus. Sphinga sane monstrum ex parte dimidia virginis formam præ se tulisse,
lib. 5. eujm figmento Græcorum tradit Adamantius. Alii interpretantur totius terræ dominium religioni cede-
rei signifi re, cui ferocia quantumlibet animalia sese subiciant, imperiumque suscipiant,
catio ibid.
habetur.
a Genf. c. 1.

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER II.

DE IIS QUÆ PER ELEPHANTUM ET RHINOCEROTA
SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis,
AD CLARISS. ET REVEREND. GUIDONEM ASCANIUM
SFORTIAM, CARDIN. S. FLORÆ.

ERRÆSTRIUM animalium hieroglyphica publico spectaculo emissurus, Leonem in primis, quippe eorum dominum, auspiciis inclitissimi Cosmi Medicei, Florentinorum Ducis exire procuravi, & quoddam clarissima ejus civitatis semper fuit Leones publice alere, & quoddam Ægyptiorum more honorifice tueri, & quod generosa eorum magnanimitas in ipso Duce laudabilibus tot effulget exemplis, ut non alii cuiquam argumentum hujusmodi dedicari deberetur. Sequebatur Elephas, animal quippe quo neque vastius neque portentosius natura rerum tulit, sed deformitatem bestie tot dotibus, ipsiq; tam præclaris insignivit, ut in omni vite tenore humanum genus (quod sanctius animal Poëta canunt) ab eo bruto si non superatum, certè læssitum esse videatur, aut pari conditione decertare. In eo autem excellit Elephas, quod à se natura suggerente & morum & virtutum documenta præbeat: quod homines nisi doceantur, vix assequi posse fateantur: sed multa sunt, quæ ab eo, tanquam à morum idea, homines desumere & imitari coacti fuerint. Est enim Elephas ingenitæ munificentia nobilis, temperantia insignis, æquitate summa conspicuus, præcipuus declinator insanæ, vaniloquentiæ hostis, pietatis cultor, & ea celebris mansuetudine, ut alienam etiam crudelitatem abhorreat, contra minus validas feras pugnare dedignetur, in iram autem nunquam efferatur, nisi acerbitate iniqua, enormiq; aliqua injuria concitatus: demiq; regalem & ipse animum, ne omnia hic accumulæm, in omnibus referro videatur. Qua quidem (Reverendiss. Domine) tibi, non ut te doceam: non enim Sus Minervam, ajunt, sed ut in memoriam redigantur, hoc Commentario enarrabuntur, exempliq; citatis comprobabuntur. Nec ad quemquam ex vestro ordine hic Commentarius mitti potuit vel aptius, vel convenientius, quam ad eum, qui humanitate, fide, pietate, & multarum virtutum, quæ supra ætatem in te conspiciuntur, commendatione longè clarissimus & esset, & haberetur. Vale.

SUIS VIRIBUS POLLENS. CAP. I.

Promiscuū
Elephantis
arma om-
nia.

Uigitur ab iis ordiamur, quæ super Elephantis Ægyptii tradiderunt, hominem in primis opulentum, suis quippe viribus pollentem, aliorum nihil indigum, qui dicere tuto possit. In me est omnis spes mihi, qui sibi conducentia olfactu quasi quodam enanciscatur, per animal hoc, imò per unum tantum ejus promiscidem, hieroglyphicè significabant, in eam scilicet admirationem adducti, quod talem, tantamq; habeat, ut ea una officii ferè omnibus illi optimè sufficiat, ea vice manus utatur, unde etiam nomen habet, ea bibat, ea cibum ad os admoveat, eam rectori, cujus omnibus imperiis se præbet obsequentissimum, erigat, offeratque, sive is in cervicem animalis summam sustolli voluerit: five

A sive ad terram descendere: quin arbores eadem prostravit, in acie tela de manibus dimicantium detrahit, equites ab equo deripit, pedes correptos quoquo libuerit projicit, & quoties immerfus per aquas ingreditur, ea ipsa edita in sublime resat atque respirat. Proprio itaque & eleganti vocabulo Lucret. hac de causa Elephantos *Anguimanos* dixit, quod promuscidem ipsam instar Anguis quoquo verum flectat, reflectat, contrahat, porrigat, lubricet & incurvet. Sunt qui visos atate nostra affirmarint gladium longitudine duorum cubitum ad promuscidem alligatum gestantes, atrocissimas in bello caedes edidisse. Sanè quantum ad vires pertinet, nunquam se Cato apud Ciceronem ait, cum adolescens esset, vires Tauri aut Elephantum desiderasse: quod dubio procul indicat, interruta, Tauros & Elephantos viribus alia omnia antecedere.

REX. CAP. II.

A Dhæc, Ægyptii Regem hominem per Elephantum simulacrum intelligebant, non ea tantum de causa, quod cum gregatim semper ingrediantur, is qui maximus est natu gregem ducit, quod B in regibus eligendis multarum nationum & gentium mos fuit, ut id muneris senioribus demandaretur: unde apud Hebræos *Seniores*, apud Athenienses *Palaologi*, apud Romanos *Senatores* rerum habena moderari soliti sunt: verum propterea quod habet hoc animi regii peculiare, ut genua non flectat acedò notabiliter ut animalia reliqua, calcaneum verò leviter incurvet. Nam genua non flectere, dubio procul ostendit supplicibundum non esse, flectere verò calcaneum, humanitatem, qua maxime præditus est, indicat. Nam apud Philosophos morum institutores, a pes indicium est affectus illius qui humilioribus applicatur. Penes verò quem sit rerum potestas, decet quidem eum humanum esse, humanisq; rebus commoveri, genua verò flectere non oportere, manifestum est. Habitus & in ostentis Elephantus, regis sublimitatis signum, qui Aureliano, multò ante ejus imperium donatus est solusque tunc omnium privatus

C Elephantum dominus fuit, ut legere est apud Fl. Vopiscum. Nam & Scandrocotto Indo, homini humili genere nato, quem Alexander Magnus ob linguæ procacitatem interfici iusserat, pernici fuga elapso, cum mox latronibus contractis adversus Alexandri Præfectos bellum moliretur, Indiam ab eorum dominatione liberaturus, visendæ magnitudinis Elephantus ferus ultrò se obtulit, & velut domita mansuetudine eum in tergum sustulit: quod eum regem futurum portento fuit: nec fœdellit eventus. Siquidem oppressis Alexandri præfectis, Indiæ sibi regnum asseruit, eaque autoritate polluit, ut Seleucus Alexandri successor in Perside cum Indiam affectaret, regno illi relicto res cum eo componere factis habuerit. Præterea scriptores rerum assiduam cum

D Serpentibus certamen gerere tradunt Elephantos: Serpentes autè inter alia significata loco suo disposita terrarum orbem, provincias, & regiones pro vario picturæ gestu, significare ostendimus: eas verò qui domitari voluerit, viribus in primis esse præditum oportet, ab undare opibus, ut quæ bello necessaria sunt facile comparet, & cum ipsis provinciis arma semper exercere. Quapropter, ut mihi videtur, Natura ipsa rerum humanarum cognitionem hoc exemplo descripsit: quippe quæ Elephantum suis viribus optimè præmunierit, &

Pes humili-
tatis indi-
um.

CÆSAS.



C 2

quæ

TEMPERANTIA. CAP. VII.

A Sed quid illud, quod etiam intemperantiæ significatum, aut ejus, qui servare modum in rebus sonit, per Elephantum qui cibum caperet, exprimebant? Assuetus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largius opulentiusque apposueris, tantum assumit quantum quotidiana consuetudine pascere sit institutus. In Syria^a cum domi quidam educaretur, magister accepta hordei mensura, dimidium singulis diebus intervertebat: cumque aliquando præsentem domino totam illi mensuram apposuisset, simulatque animadvertit Elephanta duplicatam esse pabuli portionem, hordeum id in partes duas promiscue disgregavit, tam æquas, ac si vel modio quis dimensus esset, unaque magistro portione derelicta, consuetam sibi partem absumpsit: cujus facti meminit Plutarchus.

^a Plutar-
cho in lib. l
lo qua a vi-
milla aq
tilia an ter
refra. Et
^b Ibidem
Plutarchus.

ÆQUITAS. CAP. VIII.

B Neque quidem exemplum aliud prætereundum, ex quo æquitatis etiam idem hoc animal servantissimum esse fateamur. Quidam mensuræ quæ magistro impendebatur, & lapillos, & pulverem immiscebat, quod de pondere aliquid fraudaret: animadvertit Elephas apud illum carnes elixari, accedensque cinerem è foco in ollam, paria facturum injecit.

DECLINATOR INSANIÆ.

E St illud vere regium, infanos & dementens homines evitare. Quapropter Ægyptii hominem tali prudentia præditum, ut nihil sibi cum stultis & fatuis esse vellet, ostendere cum studerent, Elephantum & Caprum hieroglyphice ponere soliti sunt: ac de Capro quidem suo commentario quæ usui venerunt, per scripta sunt.

C Causam picturæ hujus esse dicunt, quod Elephanta in specto Capro quamprimum fugit, tantum est inter eos naturæ morumque dissidium, ut virtus, vitium nullo possit pacto tolerare. Facit ad hoc etiam antiquissimum Mosaicæ legis institutum, quo principes ubi deliquerint, sacra facere admonentur ex Hirco, cum alioqui privati homines Capram vel agnum immolarent.



VANILOQUENTIA EVITATA. CAP. IX.

C Um vero vaniloquum genus hominum Regi cuiquam despectui habitum, ac sedulo evitatum ostendere curassent, Elephantum & Porcum appingebant. Elephas enim Porci audito grunnitu, in fugas se proripit e vestigio, non secus ac generosiores Equi, præsertim Scythici, Asinorum rudium impotenter admodum exhorrescunt, quod exemplo Darii exploratum est. Nihil porro quicquam tam conveniens Regi, quam dicacitatem, vaniloquentiamque ab ædibus suis procul summove: eamque inimicam sibi constituere, ut adagio receptum sit, *Fidem Regiam asseverando in eis, qua omnino credi volumus attestari.* De Porcis autem, quos pice oblitos, & mox igne flammatos Megarenses in Antipatri Elephantos immiserint, eosque ita fugarint, in Porci ipsius commentario historia recitat.



Quia vero cornua animalium nulli maiora, neque speciosiora quam Elephanto, hac ipsa etiam de causa Regem ostendit, cornua enim, ut in Cervi commentario declaratum est, dignitatis & sublimium honorum significatum habent. Hominem igitur Aegyptii ampliori aliqua dignitate tituloque honestatum, qui tamen nulla vel majestatis, vel decori ratione habita, vilissima quæque sectaretur, fordesque omnes perscrutaretur, significare si vellent, hieroglyphicum Elephanti qui mures venaretur, proponebant: indignus quidem tam vasta mole labor. Eademque nota inurendum facinus, quo

^a Suetonius in Domitiano. c. 3.
^b Suetonius in Vespasiano. c. 16.

Domitianum jam Imperatorem stylo muscas perfolientem derisum accepimus: vel patrem ejus Vespasianum de lotio vestigal exigentem, quamquam ejus lucelli odor ei bonus videretur. Verum super hac re notum adagium, *Mures negligit Elephantus*. Ac ne quis cavilletur, Elephanti dentes insignes esse, non cornua, Pausanias omnino esse cornua contendit, tum aliquorum animalium exemplo: quibus aut in supercilio, aut in naribus cornua nascantur: tum quod per aliquot annorum periodos corrupta decidant, & nova subpullulent, igneque molliantur, quod in dentibus haudquaquam fit, & quod in cranio oriuntur.



METICULOSUS. CAP. XI.

Est & illud Regum fere omnium proprium, ut ipsi ad suam (quod ajunt) umbram expavescant: ita potentiae comes additus est uniuscujusque rei metus. Elephantum autem consternationis hieroglyphicum esse manifestum, si praesertim in stagna limpidae aquae, unde sese tanquam in speculo contemplari queant, deducti pingantur, quam speciem supra modum reformidant aut certe abhorrent, & adversantur, eaque de causa turbidam omnino bibunt. Atqui hinc Indorum populi, apud quos magnus earum beluarum proventus est, si quos fluvios cum his tranare parent, illud nubesque noctes observare consueverunt.

LONGO TEMPORE QUID EFFECTUM. CAP. XII

Sunt qui pullum Elephanti pingant, quippe cui nondum dentes enasci coeperint, si longo quid temporis intervallo factum significare voluerint: hunc enim utero gestari Theophrastus decennium scribit, quamquam Aristoteles, Aelianus, & alii annos longe pauciores ponant. Utcunque sit, vulgatum inde dicitur, *Citius Elephantos parere*, quotiens tarditatem negotii alicujus incesse voluerimus. De iis vero, quae minime fieri posse speremus, Ennius dixit, *Prius locusta peperit Lucam Bovem*. Ita enim prius Romani vocaverunt Elephantos, quod a nostris in Lucania primum visi.

^c Citatur à Plinio in praesentibus historiae.

VICTUS PROVISIO. CAP. XIII.

Est & illud apud horum celebre hieroglyphicum super Elephanto, ut hominem frugi, & de vicus ratione maxime sollicitum indicare vellent, Elephantum pingerent dentes suos terra condentem, Eum siquidem ajunt, simulac caducos dentes suos intellexerit, sponte evellere, & terra infodere. Verum ego crediderim potius *Vitæ suae prospicientem*, quam *Vitæ sui* legendum, Philippumque ipsum deceptum aliqua forsitan Aegyptii vocabuli æquivocatione. Manifestum enim est ex receptorum authorum probatione, Elephantem dentes suos nonnunquam venatu allisos arboribus excutere, scientes se eorum causa peti, ut ita præda derelicta vitæ ipsi suæ prospiciant. Et ne indicio sint venatoribus, quotiens præ senectâ deciderint, eos etiam tum humo concedunt. Unicuique tamen sit integrum quam maluerit sententiam sequi.

CON.

CONCORDIÆ DISCORDIÆQUE EFFECTUS. CAP. XIV.

Huic vero significato subiiciemus illud, quod nonnulli Sallustii sententiam, quæ est, *Concordia res parvæ crescunt, discordia maxima dilabuntur*, novo commento pingere, non tamen infelicitate excogitarunt. In illo, Formica in Elephantum crescit opposito caduceo: in hoc Elephantus in Formicam definit, aqua & igni pro rebus maxime contrariis adjectis. Verum ex huiusmodi figmento si caduceum & aquam & ignem summoveas, perfectus etiam intellectus significari potest: quippe, qui minimorum æque ac maximorum cognitionem sit optime confectus, omniumque unam quasi scientiam conjunxerit. Sed enim interpretamentum hoc perinde ac illud arbitrarium esse, non inficior. Sed dicet aliquis, Quorsum Elephantus ad Formicam? Plutarchus porro de Formica multa magnifice locutus, quod animal est omnium minimum, ita de maximo non dissimilia se dicturum profitetur.

STUPOR. CAP. XV.

Atque hic qui mentis tot exhibuit experimenta, quo, vel Cicerone id asserente, a libro de Natu.
ra Deorum i. *beluavum nulla prudentior, stuporis tamen notæ propter unam vastitatem nonnullis habitus fuit, ut legere est apud Diogenianum: cui Philostratus etiam subscribere videtur, dum neque Elephantis, neque dentibus eius quicquam esse cum lyra dixit, neque quidem cum peritis viris: cuius hæc in Amphione verba sunt, quæ quidem ideo Græce ponere libuit, quia in impressis exemplaribus corrupta leguntur: ἄλλοτε ἔδραμε τῆς λύρας ἅτε οἱ ἀνθρώποι εἰδότες, ἅτε ἀντὶ τῆς ἐξουσίας, ἢ ὅτι ἐν τοῖς κέρονι αὐτῆς ζῆσιντες*, quod perinde esset, atque illud quod de Afino fertur, *Nihil illi cum lyra*. Quin & Plautus in hanc sententiam: *Meus, ait, verus Elephantis corio tellus, non suis est, neque plus habet sapientia, quam lapis*. In quam sententiam Græci dicunt, ἄλλοτε ἔδραμε τῆς λύρας ἅτε οἱ ἀνθρώποι εἰδότες, ἅτε ἀντὶ τῆς ἐξουσίας, ἢ ὅτι ἐν τοῖς κέρονι αὐτῆς ζῆσιντες. Et Tertullianus eum Bestiam vocat infuissimam, etsi aliquam in Divinis literis præ se ferat imaginem. Eucherius hominem eum signo huius dicit indicari, qui magna & enormia scelera perpetravit, citato ad hoc Salomonis loco: *Et adducebant ad Salomonem Simias & Elephantos*. Et tamen Indici, cum omnium sint ferocissimi, adeo ut difficulter cicurari possint, ad instrumenti Musici

C pulsationem cantilenarumque modulationes animum intendunt, auresque ad audiendum arripiunt, atque hinc ita demulcentur, ut nullo alio commento efficacius comprimant ferocitatem. Sane tria Elephantorum genera authores ponunt, palustres, montanos, & campestres; Palustres omnino dementes levesque esse, montanos pravos & insidiosos, campestres mansuescunt facillius, & longe dociliores ajunt, quos nequaquam stupidos existimant illi, qui eos in theatris figurarum notas & mutationes varietatesque callere, multorum testimonio compertum asserunt. Romæ illud accidisse proditum est, cum eorum grex & saltationes, & orbium lubricationes edoceretur, indociliorem fuisse unum, qui cum a magistris increpatus & castigatus esset, noctu visus est ad umbram Lunæ institutionis documenta illa per semetipsum attentare, meditari, & exercere. Verum hæc non ita forte videantur admiranda, quæ fame magistra discere cogantur: illa potius admiremur, quæ faciunt, fieri nullis unquam legibus instituti, probitate, prudentia & æquitate, nullis fere animalibus inferiores.

PIETAS. CAP. XVI.

Quid quod sponte sua naturæ quadam sublimate præditi, pietatem colunt, & religionem observant? Nova enim apparente Luna, sponte, ubi iure suo degunt, vivo se flumine purificant: si morbis infestantur, Deorum auxilium implorant, herbas cælum versus jaciunt, earum internuncio eo preces allegante, qui quidem gestus excipiendus est ab



iis,

is, qui pietatem ex Elephanto picto exprimere voluerint. Idem humanis proximi sensibus, sermonem patrium intelligunt, gloriam & honores ambiunt, ignominia notati, mortem infamæ vitæ præferunt, quam interdum, alia sibi consciscendæ mortis occasione negata, inedia finierunt. Quoties vero in theatris oppressi, amissa fugæ spæ, vulgi misericordiam supplicarunt, & quadam sese lamentatione complorantes, totum caveæ confesum in lachrymas concitarunt?

MANSVETUDO. CAP. XVII.

Cum tamen tanta ipsi sint æquitate, mansuetudine, quæ ut crudelitatis alienæ ministerio fungi minime cogi possint, quod irrito olim Bocchi conatu apparuit, contra minus validas feras pugnare prorsus negant: cumque majoribus non nisi laceßiti; & in grege pecudum ambulantes, occurrentia manu dimovent, ne quid obterant imprudentes: tantaque illos imbecillioris hujus gregis tenet reverentia, ut vel feri ex Arietis conspectu mirifice cicurentur, lenesque atque tractabiles fiant, author Plutarchus Symposiacôn XII. Quid quod aberrantem hominem in solitudine factum obviam non modo non trucidant, aut alia afficiunt injuria, sed clementer^a & placide sese duces præbent, & viam illi commonstrant? Quod vero de sermone dicebamus, quem patrium intelligant, ac etiam certum



^a Plin. l. 4. lib. 8.

^b Elephan-
te inter se
colloqui
in dicitur
in dicitur
c Epistola
ad Mari-
um.

eos inter se habere tradit^b Oppianus, verum nonnisi à magistris suis intellectum. Jam illud ætati nostræ claro innotuit experimento, eos magistri suo dicto audientes esse, sive progrediendum, sive regrediendum sit: quem feriant, quibus abstineant, quos invadant, ubi temperandum iræ, ex ipsius magistri sermone cognoscere, ut non immerito confirmata sit opinio, *Hujusmodi esse quandam illi belua cum genere humano societatem*, ut M. Tullii^c super ea re identidem usurpemus. Cum igitur Elephas justus & moderati imperii species quodammodo esse videatur, merito Regis nomen, tum ob virtutes, quas superius in eo recensuimus, tum ob hanc ipsam mansuetudinem, atque clementiam, adeptus est M. Antonius cognomento Philosophus, nihil quicquam esse dicebat, quod Imperatorem Romanum magis commendaret gentibus, quam clementiam, eaque de causa, neque quidem in rebelles suos sævitum voluit. Hæc Cæsarem Deorum adscripsit numero, hæc Augustum consecravit, hæc Pio cognomentum dedit: hæc eadem de causa Senatus Romanus timore eo liberatus, quem ex Maximini Imper. immanitate contraxerat, clementissimis Imp. Maximo Balbino & Gordiano statuas cum Elephantis decrevit. Quamvis alia de causa Gordiano tertio quadrigæ Elephantorum decretae sunt quippe, ut qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet. Sed qualis ea in animali bruto mansuetudo fuit, quam recitat Plutarchus? Romæ cum pueri quidam per lasciviam Elephanti promuscidém styli pupugissent, iratus ille unum ex illis arripuit, eum in sublime jaculaturus, sublatoque ad hoc præ metu puerorum ingenti clamore, socii morituri vicem deplorantium, tanto omnium mœnore Elephas intellecto, arreptum puerum humi molliter deposuit, fatis habens metu illo puerilem audaciam castigasse.

IRA LACESSITA. CAP. XVIII.

Quamvis vero ita natura mansueti sint, in iras tamen acriter incitantur, perturbatique irritatione aliqua acerbior, immaniter efferafcunt. *Iustus enim* (ut in Divinis habetur literis) *cum irascitur, peior est*, eoq; casu tam hostibus quam duatoribus suis perniciosi sunt. Quam in eo animali naturam cum non ignoraret Annibal, eam in usum suum convertit: quippe cum in præalti fluminis transitum Elephantos compellere non possit, neque materiam, qua naves conficeret, copiam haberet, ferocissimum Elephantum sub aure vulnerari iussit, percussoremq; transnatato statim flumine procurrere:

A currere: Elephas exasperatus ad persequendum sui doloris authorem, transivit amnem, & ita reliquis idem audendi exemplum fecit, ut Stratagematican libro primo apud Julium Frontinum habetur; idque in trajiciendo Rhodano factum Livius tradit, quamvis variatam actæ rei memoriam esse confiteatur. Sane Mauri^a affirmant cor duplex Elephanto esse, altero quidem irasci, altero ad lenitatem induci, atque hoc illud, quod horum utrumque munus supra modum exequitur. Sane Elephas ad hæc usque tempora longa seculorum serie in Italia fabulosus habitus est, neque hominum quisquam adduci poterat tam deformem immanemque beluam, qualem quantamque in picturis aspiciant, iis dotibus excellere, quibus apud rerum scriptores insignis habebatur.



a Cor duplex Elephanto.

B Nam quamvis trecentesimo ab hinc anno Fredericus II. Imperator Elephantem ad nos ex Idumæa transvexerit, & superiori ætate alter in Italia visus fuerit, nihil tamen præter corporis vastitatem, quod celebratione dignum censeretur, super illis memoriæ proditum extabat. Ceterum omnem historiarum antiquæ fidem adimplevit.

b Hanno Elephas.

Hanno^b Elephas, quem initio diximus ab Emanuele Lusitanæ Rege, Indiarumque triumphatore, Leoni X. Pontif. Max. dono missum, ac nos Romæ vidimus, Reverendiss. Domine, qui tanta ingenii, intelligentiæ atque docilitatis exempla præstitit ea ætatula (quadrimus enim huc advectus erat) ut non modo quæ à scriptoribus tradita fuerant credamus, verum authores ipsos in hoc animantium genus quasi invidos, elevasse plurima, quæ longe magnificentius illustranda fuerant, suspicio sit. Hinc factum, ut ad ejus significata, & eorum causas recensendas effusior accesserim, qui priusquam animal inspicerem, ne pro anilibus fabulis eorum bona pars acciperetur, veritus fuissim.

C Illud autem profiteri possumus, de reliquis animantibus quæcunque fidem excedere videantur, scriptorum authoritati nos acquiescere: super Elephanto vero quæcunque admiranda traduntur, nos in Hannone, vel paria, vel veteribus illis longe majora, oculata fide deprehendisse, cujus rei Romam ipsam frequentissimum totius orbis theatrum testem appellamus. Sed minime hoc dissimulandum, quod super ejusdem Hannonis ingenio Michael^c Sylvius, Regis sui ad summum Pontificem orator, summæ. ut nosti, vir integritatis, fideique sanctissimæ, atque alii nar-

c Simile fere exemplum Christoph. à Costa in libello de Aromatibus.

ravere, remque multorum testimonio comprobavere. Cum destinasset Rex eum Romam Pontifici Maximo donum ire, navi quam inscenderet jam instructa parataque ad profectiorem, nullo unquam pacto per aliquot dies fieri potuisse, ut Hanno vel duci se ad navim, vel si quo modo adductus fuisset, eam vellet inscendere, usque adeo averfabundus profectiorem hujusmodi reformidabat. Cumque Rex super ea re sollicitus admodum esset, magnisq; pollicitationibus unumquemque invitaret, qui deducendi, asportandique Hannonis negotium suscepissent, neque quisquam nomen profiteretur suum, insufurratum est demum Regis auribus, ejus beluæ magistri dolo hæc fieri: quippe qui puellæ cujusdam amore perditus, ægre ferret se in tam longinquas regiones ablegari,

D proindeq; Hannoni per suasisset ne se abduci pateretur abvehendū, quippe eum in loca sterilia, inamœna & barbara, ubi ludibrio contumellisque omnibus tanquam hosticæ terræ animal afficeretur, neque victui neq; ornatui ejus vel necessaria, vel commoda suffectura: longum ad hæc iter & incommodum, & vastum maris æquor arandum, ut satius esset in qua tunc erat terra quamprimū contrucidari, quam per tot viarum difficultates ad ærumnosissimam denique vitam pervenire. Rex hac re cognita, magistrum Hannonis ad se quamprimum accersiri jubet, seq; dolos ejus comperisse dicit: ageret itaque ut intra triduum Hanno in navim imponeretur, idque ni proprie fieret, interminatus est actutum se hominem extremo supplicio affecturum, ut aliis exemplo esset, qui mandatis Regiis fucum facere ausi essent. Hac^d Regis asperitate territus Elephanti magister, cum nullam in cunctatione salutem intueretur, discipulam beluam aggreditur, docet se malevolorum quorundam fraude

d Recenset memorabiliu historia.

D

subor-

subornatum, qui & felicitati utriusque inviderent, & regi optimo male obtemperantes essent, longe autem secus rem habere, quam illi mentiti essent. Siquidem non immania & efferata loca profecturi erant, sed ad urbem orbis terrarum dominam, ameno loco sitam, ubi rerum deliciarumque omnium quotquot vel avidissimi cujusque cupiditate expeti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem, cui totus pene terrarum orbis assurgeret, apud quem is in deliciis habendus esset, & tanquam Luscinia pullus, lautitiarum blanditiarumque affluentia nutricandus: proinde bono animo esset, secumque primo quoque tempore lætus & alacer navem incenderet, affuturos navigationi Deos cursum omnem incredibili felicitate perferuturos. Ita Hannonem ab eodem magistro in aliam sententiam deducit, ubi signa data sunt, ultro navem conscendisse, neque ulla unquam imperia toto itinere detractasse.

DE RHINOCEROTE. CAP. XIX.

Qui Rhinocerotam in Domitiani numis inspexere, quid id signum sibi velit, quaritare solent. Ego factum id ad Principis adulationem dixerim, qui animalia hujusmodi spectaculis obtulerit, cujusmodi munus illud fuit, quod à Valerio Martiale celebratur;

*Præstitit exhibitis tota tibi Caesar arena,
Qua non promisit prælia Rhinoceros.*

*O quam terribiles exarsit prorsus in iras!
Quantus erit cornu, cui pila Taurus erit!*

IRACUNDIA EX TARDITATE FEROCIOR. CAP. XX.

Sunt enim qui lentitudinem irascendi, ac nullum mox adhibitum modum excarescentia, per hujus animalis hieroglyphicum intelligant. Nam in eo conveniunt authores, magna id indigere irritatione, sed ubi irasci cœperit, esse ferocissimum, quod & altero Martialis expressit Epigrammate:

*Sollicitant pavidi dum Rhinocerotam magistri,
Seque diu magna colligit ira fera:
Desperabantur promissa prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sit extulit Ursum,
Jactat ut impositas Taurus in astra pilas.*

REX POTENS IMBECILLIORIS
ARTIFICIO PETITUS. CAP. XXI.

Sunt qui volentes, potentem aliquem Regem imbecillioris alicujus artibus vexatum intelligere, Elephantem pingunt in certamen à Rhinocerote laceffitum. Nascitur hic siquidem natura hostis Elephanto, longitudine ei pene pari, sed cruribus multo brevioribus, colore buxco, ut ait Plinius. Cornu is ad saxa limato se pugnae præparat: in dimicatione alvum maxime petit, quam esse molliorem intelligit, eaque perfocta, actum superat Elephantum.

ROBUSTUS. CAP. XXII.

Sane fortem atque robustum Divinae literæ, ut Eucherius tradit, per Rhinocerotis imaginem accipiunt. Illudque Jobi ex Hebræo affertur. *Numquid vult Rhinoceros, cui Domitia noceros servire tibi? Terribilis, ait is, fera Rhinoceros, cui si numus gemina in naribus cornua:* atque ita in Domitiani nu-



mis

^a Lib. 8.
cap. 30.

^b Domitia noceros servire tibi? Terribilis, ait is, fera Rhinoceros, cui si numus gemina in naribus cornua:

A mis observavimus, in quibus Rhinoceros spectatur nares gemino cornu insignis, qualem celebrat Martialis. Præterea qui nuper allatus est ex India inferiori ad Lusitanæ Regem, cujus imaginem ad Leonem X. Pont. M. transmissam vidimus, unum quidem in nare cornu habet, alterum superne prorumpit, non adeo magnum; sed prævalidum esse Lusitani omnes, qui animal viderunt, attestantur. At longe curiosius hoc videndum: in Divinis siquidem literis, *μονοκέρω*, & *ῥινοκέρω*, Unicornem scilicet & Naricornem plerisque locis confusim acceptum fuisse nimirum à novis & veteribus Theologis, qui cum historiam ignorarent, duo hæc unum eundemque esse crediderunt, ita ubique ab aliis Unicornem, ab aliis Naricornem uno eodemque loco positum invenias. Id quod accidisse puto, quod, uti diximus, plerique horum idem esse animal arbitrati sunt Rhinocerotæ & Monocerotæ: cum alioqui longe diversa sint, separatimque à Plinio utrumque positum, qui libro octavo, capite post vigesimum primo, Monocerotem asperimam ait feram, reliquo corpore Equo similem, capite cervino, pedibus Elephanto similibus, cauda Apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum pedibus eminentem. Quæ quidem descriptio eum signat, quem vulgus Halicornum vocat, quem ajunt pudicitia ita amantem esse, ut non nisi puellæ virginis ope capi possit, quam venatores ibi statuerint, sedentem, quo animal ad potum pabulumve se conferre animadvertent. Accurrere enim Unicornem ad puellam hujusmodi, inclinatumque caput in ejus gremium collocare, altissimoque mox occupari somno, signoque à venatoribus à puella dato appropere eos, & feram nullo negotio capere, atque hoc unius tantum cornu præmio, quod contra venena pollere prædicant: ramenta quippe ejus efficacissime sanare, & toris stratis partem ejus impositam, si quid veneno vitiatum apponatur, sudorem emittere. Rhinocerotæ vero eodem libro Plinius cap. XX. ponit, qui cornu non in fronte habeat, sed in naribus, alterum eum à Dracone hostem genitum Elephanto, & quæ superius allata sunt de utriusque pugna. Sane alibi in Divinis literis Rhinocerotæ hieroglyphicum esse fortis & robusti viri, uti superius dictum, notat Eucherius citato ex Jobo loco, *Numquid volet Rhinoceros servi- re tibi?* Et apud Balaam scriptum invenias; *Cujus fortitudo quasi Rhinocerotis*, ut Latine plerique omnes habent interpretationes, quamvis Sanctes *Unicornis*, reddiderit. Igitur si quid ariolandum, cum Psalmo hoc vigesimo primo comparatio referatur ad animalia robustissima & indomita, divinumque auxilium contra eorum imperium atque vim imploretur, quippe ut Chaldæi & Arabes exposuerunt, *Salva me à feroci fortissimo sicut Leone à Rege potente, cujus potentia sit sicut Naricornis*, *Psalm. 6.* eamque plerique lectionem probent, non dubitarim asserere, hoc loco, *Rhinocerotis*, legendum. Ubi vero Psalmo vigesimo octavo mentio fit amabilioris animalis, dicitur quippe Sarion apud Hebræos, quod Græci reddidere *ἡγαπημένον*, *ὡς υἱὸς μονοκέρω*, Latini, verbum verbo reddentes, *Dilectus*, quem admodum filius Unicornium: vetus etiam traductio Unicornium habeat, nulli dubium esse crediderim, quin castigatio istius loci lectio sit *μονοκέρω*. Atque hæc, mi Domine, sunt, quæ super Elephanto, qui Rhinocerotæ secum traxit, colligere per occupationes licuit. Tu, qui a tatem omnem, horasque omnes assidua lectioni soles impendere, longè illustriora reconditioraque forsitan inveneris, quæ si ad manus meas pervenire non potuerunt, indulgendum est mihi: non enim ignarus es, quantum mihi Principum obsequia, negotiorumque perturbationes de studiis literarum subtrahant, crebrisque me interpellationibus avocent. Quare tu, atque alii, qui vitæ meæ rationem inspiciatis, mihi esto æquiores, præsertim cum admoneat Maro: Neminem esse qui possit omnia,